

bris. Anni. 1657. Pontificatus Secundi, qui vti-
nam plures numeret magno totius Ecclesie bo-
no decursurus.

126 Omitto alia, quia pro instituto hæc sa-
tis, si illud tantum addiderim, Auctorem aliquem
deceptum fuisse asserere, non videri à modestia
Scriptoribus seruandâ penitus alienum: sic enim
P. Suarius, præclarum modestie totius exem-
plar, *Tomo 2. de Religione Tract. 4. Lib. 1. Cap. 15. num. 4.* valde deceptum ait Ioannem Medinam
circa rem, de qua ibi sermo. Sed verò, cum de
magnis Auctoribus agitur, eo vti loquendi mo-
do, sine irreuerentia non stat, vt si de Suario ip-
so aliquis ita loqueretur, & multò magis de Di-
uis Thoma, Bonauentura, & similibus. Iam ad
rem.

127 Ratio vt vendi ad creditum dicto mo-
do queat, à Præfato Auctore cum aliis redditur,
quia de præfenti est paucitas emptorum, vnde
minùs valent merces, cum tamen ad creditum
plures sint: vnde intrat communis regula circa
contractum huiusmodi, vt multitudo emptorum
augeat pretium, raras minuat. Quod speciali-
ter asserit Auctor dictus cum P. Dicastillo, quan-
do merces mari asportata: in magna quantitate
venduntur, de quo à Nobis dictum *hoc Titulo*
num. 103. & 104. vbi de Memoribus, quas vo-
cant, & alium titulum præter lucri cessantis qua-
rendum ibidem ostendimus, est autem hic satis
verosimilis. Quamquam & dici possit sufficere
sic esse vsu fori constitutum à timorata conscien-
tia Mercatoribus, (sunt enim huius generis plu-
res, qui venales non habent animas) re penitus
explorata.

Ibidem circa num. 109.

Ubi de contractu ad damnum, tripli-
cem continente.

128 Defendit illum P. Gibalinus *Tomo*
1. de vsuris toto Libro 6. vbi Lezanam,
P. Raynaudû, Badellum, & alios ad-
ducit ac commuem pro eo stare Theologorum
Romanorum sensum ostendit. Auctor idem, ob
promissionem non repetendi mutuû negat quid-
quam accipi posse. Et censet contrarium esse im-
probabile Lib. 1. Cap. 8. etiam speculatiuè n. 53.
sed P. Tamburinus Cap. 8. citato 5. 5. probabi-
litatem firmat rationibus, & solutione argumen-
torum: licet absolute sententiam neque ample-
ctatur, nec respuat, pro quo num. 7. & quinque
pro centum in anno ex eo titulo accipi posse,
cum Caramuele statuit. Hoc circa Citatum Ca-
put 9. num. 128. & seqq.

Circa Caput XII.

De locatione animalium an licita Cle-
ricis & Religiosis, de quo *num. 152.*
§ 177.

129 Sententiam P. Molinæ, & Cardina-
lis Lugo adducit Diana *Parte 8.*
Tract. 7. Resolut. 62. & isti potiùs

videtur adhærere. Neque obstat Declaratio Car-
dinalium apud eundem, cum ex ea habeatur lo-
cari posse boues, quos pro suis colendis agris
habent, dum vacant: nec solum illos, sed eos
etiam, qui alio modo licito retinentur. Modus enim
licitus est, si empti sint, etiam si pro emolumento
locationis, vt bene arguit Cardinalis.

Circa §. 7. eiusdem Capitis.

Ubi an Ecclesiastici in domo propria
aut Monasterio possint vendere vi-
num ex suis prædiis.

130 Contra Patres Laymam & Rebellum
id negantes ob tabernam indecentiam,
affirmat Diana *Parte 8. Tract. 7. Re-*
solut. 26. cum Renato à Valle consuetudinem
esse in contrarium, & iuxta id, quod dictum *num.*
174. de venditione eorum, quæ empta sunt in
vsu proprium, videndus *Idem Resolut. 27.* vbi
eum eodem docet posse vendi cariori pretio, si
tale tunc occurrat, dummodo ad vendendum
non sint empta. Quod intelligendum de directâ
intentione, nam ex eo nihil est damnabile, si
emantur ad vsu proprium, sed tali animo, vt
si quidquam superfluat, pretio currenti vendatur.
Immo addo, etiam si non superfluat, posse
cariori pretio vendi, vt illud commodum habeatur,
si speratur futurum opportuno tempore
quod necessarium est, & commodiori pretio
comparandum: potest enim dici in præfenti su-
perfluere, quidquid de futuro sit. De Pharmaco-
poliis idem tenet Lezana *Tomo 1. Cap. 9. n. 39.*
addens tamen id per sæculares peragendum, ne
medicamenta corrumpantur. Verum si per Fra-
trem laicum id fiat, vix est indecentiæ aliquis
excessus, nisi officinæ porta in propatulo sit,
quo pacto & sumptus cum sæculari faciendi eui-
tantur, & securitas magni æstimanda habetur,
cum rari inueniantur sæculares, quibus pecunia
sine testibus colligenda possit securè committi.

Circa §. 8.

Ubi de contractu Æthiopicorum man-
cipiorum.

131 Agit de illis Verricelli Tractatu de
Missionibus *Quæst. 107.* per plures
Sectiones: pro ipsis militans, præ-
sertim circa ordinariam contractationem *Secl. 8.*
quatuor sequentibus, & 16. vix respiraculum re-
linquens, quo possit aut vendens, aut emens,
sive post vnâ, sive post plures venditiones, se-
curus in conscientia remanere. Id tantum esse
alleuatioui pluribus potest quod habet *num. 92.*
vbi cum P. Salas 1. 2. *Tomo 2. Tract. 8. Disput.*
Vnica Secl. 23. num. 236. & aliis, de quibus *num.*
88. affirmat, scilicet non teneri ad restitutionem
eum, qui acquisiuit ab alio bonæ fidei possessore.
Communiter enim sic accidit quando mancipia
post iteratas venditiones emuntur. Quod intelli-
gitur etiam si dubium aliquod superueniat, addit
enim sic: *Verum non improbabilius inquis Rebellius*

Parte 1.

Parte 1. Lib. 1. Quæst. 10. Secl. 2. num. 12. facien-
dum esse restitutionem proportionem dubij, paciscendo vt
post tot annorum seruiciuem sit liber. Sic ille, qui
neque in hoc securitatem voluit omnimodam
indulgere.

AD TITVLVM. X.

Circa Caput II.

Ubi de obligatione Ordinationum pro
Minerariis.

132 Quid illa in conscientia non obli-
gent, de quibus ibi, colligitur ex
communi doctrina, pro qua Au-
ctores adducit Bonacina *Tomo 2. Disput. 1. Quæst.*
1. Puncto 7. num. 2. obligationem scilicet non
esse, cum populus legem vt obligatoriam non
accipit, & de voluntate potest Principis ita præ-
sumi. Id quod specialiter habet locum, cum ij,
quibus leges imponuntur: parùm de huiusmodi
obligationibus curaturos potest verosimiliter æ-
stimari. Tales autem esse Minerarios quis, eos-
dem qui nouit, ignorat? Quod si qui sint circa
conscientiæ negotium attenti, & de Ordinationi-
bus hæsitent, eos de obligationis qualitate in-
strui à Confessariis expediet, quia res est valde
lubrica, & grauium lapsuum pericula præstat
anteueriti. Tales autem leges, quæ consultoriæ
dicuntur, propriè esse tales, est non adeò prop-
riè ac aliàs, affirmat Nauarrus in Commenta-
rio *Cap. Fratemitas 12. quæst. 2.* ad calcem Con-
sultorum *num. 7.*

Alia pro Indorum coactione, que ad Ti-
tuli Primi Caput 12. etiam pertinent.

133 Contra illam effusè declamat Verricelli
Tractatu citato de Missionibus, Ti-
tulo 5. Quæst. 108. vbi ea congerit
quæ Dom. Solorzanus plenâ contulerat manu
Tomo 2. Lib. 1. Cap. 14. 15. & 16. nonnullis ad-
iectis de Mineris Hispaniæ, ac de multis Indo-
rum millionibus huiusmodi vexatione perem-
ptis. Quod nequaquam est veritati conforme,
licet de hoc odiosa quorundam prodierint nar-
rationes. Quod immuniti alicubi tantoperè Indi,
aliam profectò causam habuit, cum ita in iis Pro-
uinciis, in quibus Minerarum effossio nulla, acci-
disse videamus. In Noua Hispania Anno 1545.
spatio sex mensium innumeros pestis absumpsit,
vt scribit Fr. Ioannes de Torquemada in *Monar-*
chiâ Indianâ. Parte 1. Lib. 5. Cap. 13. Arruynd y
despablo la maior parte de la tierra, de donde comenza-
ron à ir en gran diminucion y ruyna todos estos Rey-
nos. Quæ sunt illius verba. Et Ann. 1576. im-
manior alia superueniens stragem maiorem edi-
dit, de qua Scriptor idem Cap. 22. Duro por tiem-
po demas de vn año, y fue tan grande, que arruyndò
y destruyò casi toda la tierra, y aun casi quedaron despob-
lados los Indias, que llamamos Nueva-España. Ad-
ditque sic: Fue tanta la gente que murio aquel año, que
para creer despues de la mortaldad que era esta tierra
la misma que Don Fernando Cortes, y sus Compañeros
conquistaron, fue necesario que lo atesiguaran los

muchos que poco despues del vinierò, que vieron lo vno y
lo otro. Sic ille. Fuerunt etiam & alibi clades si-
miles, quas & frequenter experimur, vt earum
quauis multò moriantur plures diebus singulis,
quàm per annos multos. Minerarum labore fre-
quentato. Quid circa illam sententiam ex citato
Capite constat: sed oportet ab immoderantia
exaggerationum Religiosos præsertim homines
temperare. Michael ab Agia id defendit, quod
diximus ibidem, qui & pelinodiam recantauit, nec
è Societate Iesu fuit, vt P. Verricelli affirmat,
num. 9. sed Franciscanus absque controuersia,
vt diximus. num. 110. citati Tituli 1.

134 *Quæst. 109.* de fodinis agit peste, vene-
natilque animalibus infectis: de quibus & Dom.
Solorzanus *suprà Cap. 17.* & locus est aptus ad
eruditionis ostentationem, sed inutilis sanè quan-
tùm ad morale negotium attinet: nullâ enim ta-
les inueniuntur fodinæ, in quibus certum pericu-
lum subit ex dictis causis, sicut neque ex infe-
statione Dæmonum, de quo Idem *Quæst. 110.*
cum Dom. Solorzano *in eodem Capite.* Neque, si
tale quidquam acciderit, Gubernatorum pietas
gruari misellos istos inhumano ingressu huius-
modi patietur. Curatur equidem diligenter ab
ipsis vt dum compulsio ista perdurat, humanè &
commodè compulsi pertractentur. Si quidpiam
minùs piùm aut humanum interueniat, iuxta hu-
manæ id prouidentie infirmitatem eueniet, quæ
non potest omnia cum effectus certitudine præ-
cauere.

AD TITVLVM XI.

Circa Caput I.

De Protectoribus.

135 D Vbitari de illis potest an teneantur
xenodochia Indorum visitare, vt
videant an commodè illis prouideatur.
De quo ego non dubito generaliter lo-
quendo, vt ratio videtur aperta demonstrare:
tunc enim maximè indigent, non solum quoad
corporis, sed etiam quoad animæ salutem. Vn-
de non sine scandalo stare solet, si Protectores
domos huiusmodi numquam deprehendantur
visitare, ac si ad eos minimè videantur pertinere.
Et quidem cum Christus in iudicio exprobratu-
rus sit duris erga infirmos corde verbis illis: *In-*
firmus eram, & non visitatis me. Matth. 25. Qua-
lem se erga eos exhibiturum putamus, qui Pro-
tectorum fungentes officio commissos sibi pau-
perculos detrectant penitus visitare.

136 Dixi autem *Generaliter loquendo,* quia
aliquando tales possunt circumstantiæ concurre-
re, vt videatur obligatio præfata cessare quem-
admodum in Limenli xenodochio videre licet,
cuius administrationem Mercatorum Cantabro-
rum gremium gratis assumpsit, cum quibusdam
aliis ex primoribus, de quo *Cap. 3.* & satis dili-
genter in eadem administratione se gerunt.
Est autem ipsis molestum si quisquam exploraturus
accedat, an res vt est opus procedant, eò quod
parùm ipsis videatur fidi, timerique non sine
fundamento potest eos sic molestia affectos ab
opere valde vtili, & vix aliter durabili, destituros.

137 Vbi

137 Vbi dicit fortasse aliquis visitationem taliter institui posse, vt Protector laudatus potius quam administratorum censor futurus accedat. Sed certe cum visitatio eo tendere debeat vt infirmitatum necessitatibus consulatur, quocumque id vult Protector efficiat, visitationis scopus erit administratoribus manifestus, nec laudati credent, scientes experimento quales habeant laudum istarum effectus, obseruatis defectibus, & non sine illorum dedecore propalatis. Sublatam autem obligationem visitationis ex sine predicto, quae remanere alia potest, communis omnibus esse videtur iuxta leges charitatis.

138 Nihilominus non iudico penitus excusandos, quia, vt nihil visitatione sua obtineant in ordine ad promouendam curationem, ratio scandalis perseverat: neque homines adeo pij & feruentes spiritui charitatis, ita leuiter huic operi incumbunt, vt quaecumque animaduersionem vrbane & opportunè propositam, ab eo sint statim recessuri. Vnde ibi trepidare Protectores videntur, vbi non est timor, id est solidum fundamentum ad illum. Si tamen illi bonae conscientiae ac docti sint, & in detrectanda, ob inconuenientia sibi nota, visitatione persistant, suae possunt conscientiae relinquere.

139 Quod si scandalizantur aliqui, minus id malum est, quam vt opus adeo insigne deficiat, ex cuius defectu grauiora mala ad corpus, & animum spectantia suborirentur. In materia enim scandalis hoc debet semper obseruari, vt maioris momenti praecipuum minimè praetereatur ob illud vitandum. Vnde si quis tenetur opitulari alicui indigenti, & alius id videns accepturus sit occasione maledicentiae, aut alterius peccati grauis, tenetur opitulari indigenti, quia praecipuum beneficiendi illi plus habet ponderis, quam praecipuum vitandi occasionem: & iniustum est vt propter cuiusque malitiam alius patiatur detrimentum, vt bene discit P. Petrus Hurtadus de Mendoza 2. 2. *Disput.* 173. §. 268. Sic ergo iniustum erit vt Indi pauperes graue damnum in suis infirmitatibus visitati à Protectoribus patiantur, ne aliquibus maledicentiae praebatur occasio, qui possunt & debent iudicij sui audaciam cohibere. Et quidem maledicentiae peccatum, cum passuum scandalum est, ex malitia, & non passione, aut infirmitate, ordinariè prouenit, cuius vitandi minor est obligatio, vt communiter tradunt scriptores.

140 Facit pro eodem id, quod habet P. Suarius *Disput.* 10. de *Charitate*, sect. 3. num. 10. vbi ait in iis rebus, quorum quis non est dominus, sed curator, vel dispensator, vt est Episcopus verbi gratia, in bonis Ecclesiae, communiter teneri cum non omittere suam curam, nec perdere bona temporalia propter scandalum aliorum: praecipue si damnum temporale sit graue. Quam doctrinam eo citato amplectitur P. Palaus *Tomo* 1. *Tractat.* 6. *Disput.* 6. *Puncto* 17. Licet citatio erret circa Sectionem. Estque illa casui praesenti adaptabilis, vbi Protector curatorem agit, & non solum de damno graui temporali vitando agitur, sed etiam de spirituali, cum certissimum sit ad Indorum aeternam salutem xenodochiorum institutionem, & rectam administrationem summo opere conferre id quod passim manibus, vt sic

dixerim, contrectamus. Vnde dici de illis verisimè potest non solum esse *Domus Dei*, sed *Portas Cali*: licet humanis oculis *Domus calamitatis & miseriae*, & *Porta mortis* esse videantur. Et licet non visitare in Protectoribus, curae potius omisso quam administratio appareat; re tamen verè sic se gerere ad curam & administrationem pertinet, cum vtiliter negotium istud agatur, vt in aliis accidit, in quibus non minus viles esse aliquando dissimulationes solent, quam instantiae actionum. Pro quo & citati de Pontifice loquentes, multa quandoque, aliis non ferenda, propter vitanda maiora damna tolerante. Cum tamen in casu nostro illa non sint, sed solum omisso actionis, quae vtilis esse possit, & inspectis circumstantiis nocitura potius iudicatur. Si enim damna essent comperta aut verosimilia, tunc aliter dicendum; esset enim peccatum grauissimum se non potenter opponere, & ob humanos respectus miserabiles vndeque personas in periculosiore miseriae extremo indefensas, legibus charitatis & iustitiae violatis, reliquisse.

COROLLARIUM.

Circa rationes, propter quas Indi opus habent Protectore, & illarum effectus peculiare.

Diximus in fine *num. praecedentis* Indos esse miserabiles vndeque personas, & propterea Protectoribus valde intentis circa eorum curam indigere. Quod licet satis videatur perspicuum iis, qui inter eos degunt; probandum tamen, videndumque quod ex eo habeatur consideratione dignum, vtilibus pro ipsorum commodo discursibus efformatis.

§. I.

Indos varijs ex titulis miserabiles esse personas.

141 **P**rosequitur illos Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 27. & in *Politica Lib.* 2. *Cap.* 28. & 29. & sunt obuij, abiectione scilicet eorum conditio, nouitas conuersionis, paupertas, rusticatio, disensus inopia, puerorum adinstar, de quo in *Additionibus ad Tomum* 2. *num.* 69. quid de multis sit vrbane exultis, de quo *ibidem*, & quia iuxta id, quod communiter accidit leges feruntur, Indi quicumque, quando de eorum fauore agitur, miserabiles personae habendi sunt, licet iam non sint *hospites & aduenae*, vt Apostolus loquitur *Ephes.* 2. *Sed ciues Sanctorum, & domestici Dei*, licet ingenio validi, facultatibus supra tenuitatem instructi, & vrbium incolae. Sicut enim his non obstantibus frui possunt privilegijs omnibus à Sede Apostolica, & Regia benignitate concessis; ita & iis gaudere praerogatiuis, quae ex titulo miserabilium personarum oriuntur: re enim vera Indi quicumque, Indi sunt, & natura miseri, & parum capaces: si quid autem Dei indulgentiae excellentius habeant, non debent propterea deterioris esse conditionis, & humanis beneficijs destitui;

destitui, quia diuina succurrunt. Pro quo facit id, quod de orphanis & viduis docent Couarruias *Practicarum Quaestionum Cap.* 6. §. *Primus igitur casus*, & D. Felicianus à Vega in *Cap. Ex tenore de foro compet. num.* 13. cum alijs, quos citant, foro scilicet Curiae gaudere, si velint, etiam si diuites sint. Sic etiam L. *unicà C. Quando Imperator inter pupillum & viduam ad fidem.* Post pupillos & viduas commemoratos pro beneficio, de quo ibi, pro alijs ita subdit: *Alique fortuna iniuria miserabiles, &c.* Ex quibus videtur inferri eum, qui in paupertatem & miserum statum suam culpam incidit, à praedicto excludendum beneficio, quia id non accidit fortunae iniuria & nihilominus contrarium statuit citatus Praesul & Praesul eiusdem Capituli, *num.* 3. *Sed si quis.* Et *Lib.* 2. *Variarum, Cap.* 16. *num.* 9. Quia hic & nunc reuera iste pauper est, quidquid de causa miseriae fuerit, quod in considerationem non venit, neque lex id curat, pro iis, quae communiter accidunt, constituita. Marius Antonius *Lib.* 2. *Variarum Resolutionum, resol.* 33. *num.* 10.

142 Et ita quidem ex Regijs rescriptis habetur, ex quibus illud Philippi III. memoriae aeternae die 24. Aprilis 1618. vbi post alia sic: *Demanera que estos vasallos, que como queda dicho, son personas tan miserables y necesitadas de auxilio y fauor de la Justicia y caridad conueniente, conque deben ser amparados, y tan sujetos à vexaciones, y en su estado los mas viles à mi Corona, sean restituidos à la libertad, buen tratamiento, y gobierno, que tengo mandado, &c.* Pro quo & Ordinatio prima in Titulo Fiscalis Regij Indiarum Consilij, verbis illis: *De cuya proteccion y amparo, como ve personas pobres y miserables se tenga por muy encargado, y con grande vigilancia y cuydado pida y solicite siempre loque para bien de ellos conuenga.* Iuxta quae non debet cenleri contrarium id, quod habetur in Regio rescripto Regis eiusdem die 20. Iulij 1617. dum sic ibi: *Pues no es justo que en causas de Indios y personas miserables, que prosiguen el castigo y Justicia de sus iniurias, ò de los suyos, &c.* Et inferius. *Que en las causas de los Indios, ò personas miserables, se ha de guardar la costumbre referida: quod scilicet querelantes non teneantur fideiussionem adhibere. Non inquam debet cenleri contrarium, licet inter Indos & miserabiles personas videatur statui distinctio, & ita Indos miserabiles personas non esse; vnum enim membrum diuidens non debet in alios claudi, iuxta Dialecticam praepcepta, & apud Iurisperitos coniunctio, & aut diuersa necit, aut est repetitiua similitum. Pro quo Cenedus *Singul.* 50. similitudo autem inter distincta tantum reperitur. Cum enim Regum nostrorum mens adeo sit in praesenti articulo manifesta, non est credendum in iis, quae ob fauorem Indorum disponebant, quidquam minus fauorabilem interferri voluisse. Et quia vitanda legum correctio, etiam impropriatione verborum, iuxta communem scribentium doctrinam, de qua Marius Antoninus *Lib.* 1. *Resol.* 46. *in fine.* Vbi quod potius ita accipienda verba vt nihil operentur. In nostro autem casu sine impropriatione aut redundantià stat sensus congruus, si vnum tantummodo subintellectum verbum adiciatur, scilicet, *Otras, alia, sic: En causas de Indios y otras personas miserables.* Vult enim Rex vt indulto illo non praestanda fideiussionis, quando contra aliquem*

pro iniuria accepta aut depellenda agitur non solum Indi, sed miserabiles omnes personae in Indijs perfruantur: quod est aliàs iuri communi conforme, vt in eodem rescripto dicitur.

143 Ex quibus habetur quam inhumanum sit miseros istos, & ideò miserabiles, diuexare. Si enim miserabiles personae dicuntur illi, de quibus natura mouetur ad miserandum, vt ex multis proponit D. Solorzanus *lib. cap.* 27. *num.* 1. naturam certe humanam exuisse videtur, qui imperium naturae ipsius rationi adeo conforme, non agnoscat, sed ferino quodam impetu ad vexandas imbelles animas, & teneram Christi ac Matris Ecclesiae gregem, semel iterumque raptatur. *Proh dolor! Pietas in aibus inuenitur, que ab humana condicione deseritur. Vultur ipse, cuius vita est cadaver alienum, rante magnitudinis corpus, nec exiguis alitibus probatur infectus, sed magis accipitrem vitam plumigerum auium persequerem, alis cedit, ore dilaniat, toroque suo pondere periclitantibus nititur subuenire, & homines parcere nequeunt cuius se genus esse cognoscunt.* Sic Theodoricus verbis Calliodori *Lib.* 2. *variarium* 19. Hinc jam merito subit quaestio, pro qua

§. II.

Indorum iniuria an seuerius quam alijs illata puniende. Vbi de illarum compensatione, cum doctrina vtili.

144 **S**tat pro eo Philippi II. Regis nostri, clarissimi pietatis ac iustitiae speculi, rescriptum ad Limanam Audientiam die 29. Decemb. 1593. quod habetur *Tom.* 4. *Schedularum Indicarum pag.* 269. in quo post alia sic: *Os mando que de aqui adelante castigues con mayor rigor à los Españoles que iniuriaren, ofendieren, ò maltrataren à los Indios; que si los mismos delitos se cometieren contra los Españoles, y esto mismo ordinareis à todas las Justicias del distrito de esta Audientia.* Si ille, accipitibus infensus, qui exiguis istis alitibus inhumanè probantur infecti: & videri poterit alicui excessus in hac esse censurà: plus enim consulendum gentilitio generi, quam extraneo, quia propinquius illud: magis ergo Hispanis ab Hispano Rege, quam Indis & vt magis non sit, aequaliter saltem eam, quam iustitia amplectitur, aequitate. Sic Deus *Exodi* 21. *v.* 12. legem contra homicidam statuens, vult illam esse communem, dum ait: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* Vbi licet Rabbi Salomon id non de occidente Gentilem, sed Iudaeum, intelligendum velit, communi Doctorum sensu talis intelligentia reicitur, cum stet contra illam id quod inferius habetur, dicente eodem *v.* 20. occidentem seruum, reum esse homicidij eriminis: ex quo inferunt esse & capitalis poenae, vt videri potest apud P. Cornelium, vt scilicet aequalitas iustitiae seruetur, quia solus Deus vitae & mortis est Dominus, vnde priuans illam, quicumque ille fit, eadem debet poenam multari, quia dominus vitae non est. Quod si in seruo ita actum, circa hominem liberum nulla esse dubitatio potest quo minus sit pariter faciendum.

145 Hanc ergo iustitiae aequitatem circa iniurias violare is videtur, qui Indorum atque